

Christian Wildvogel

**Christiani Wildvogelii, Icti Et Antecessoris, Ordinis Ivridici h. T. Decani De Genio Principis Ad L. XIII. §. fin. de Jurejur. Programma Inavgvrale : P. P. In Vniversitate Ienensi D. XXIV. Nov. A. O. R. MDCCXXVI.**

Ienae: Litteris Mvllerianis, 1726


<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1858434726>

**Abstract:** Einladung zur Verteidigung der juristischen Dissertation von Karl Sylvius Widerian. - Enthält Lebenslauf des Kandidaten

Druck Freier  Zugang











K. N. — 1 (23.)









Styr  
Ka  
Bi  
Br  
Br  
Ch  
  
Cöl  
Dre  
hö  
Gr  
Ha  
He  
Ho  
Ho  
Ho  
  
Jen  
  
Ka  
Kü



28  
/39/

CHRISTIANI WILDVOGELII,

ICTI ET ANTECESSORIS, ORDINIS IVRIDICI  
h. t. DECANI

DE

GENIO PRINCIPIS

*Ad*

*L. XIII. §. fin. de Furejur.*

PROGRAMMA INAUGURALE

P. P.

IN VNIVERSITATE IENENSI

D. XXIV. NOV. A. O. R. M DCC XXVI.

---

IENAE,  
LITTERIS MVLLERIANIS.



CHRISTIAN WILBVOGELL

DE

GENIO PRINCIPIS

PROGRAMMA INVALEXAE

IN UNIVERSITATE LIPSIA

MDCCCXXXIII





Uanta ueneratione & religione Romani quondam Majestatem Regum ac Principum suorum profecuti fuerint, ex rerum gestarum monumentis abunde constat, dum eosdem non solum a Diis ortum ducere, sed & ipsos Deos esse crediderunt, quin & immortalitatem iisdem tribuere non dubitarunt atque post excessum e vita in cœlum ascendere sibi imaginati sunt. Hinc apotheoses, hinc diuorum nomina, hinc holocausta, hinc æternitatis simulacra, & alia plurima honorum *reuerentia* uberim prodire.

Inter illa non ultimum locum sibi vindicat, quod per *Genium* Principis ueritatem asserere & jurare uoluerint, atque huic juramento eandem vim & efficaciam attribuerint, ac si per summi Numinis implorationem quid adseuerarint. Condiscimus hoc ipsum inter alia ex Ulpiani lib. 22. ad Edictum, cujus uerba referantur. *in leg. 13. §. fin. de Jurejur.* quando ait: *Si quis iurauerit in re pecuniaria per GENIUM PRINCIPIS dare se non oportere, ET PERIURAVIT uel dari sibi oportere, uel intra certum tempus iurauerit se soluturum, nec soluit:*

):( 2

Impe-



Imperator noster cum patre rescripsit fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei superdici: προπετῶς μὴ ἄνωγι id est: temere ne pejerato; atque ita hac formula verum perjurium committi, ejusdemque pœnam pejeranti jure indici debere, statuere. Jam igitur, quid per *Genium Principis* designetur, paucis inquirere lubet. Dicitur autem *GENIUS*, quasi qui nobiscum gignitur, vel quod genito jungatur: cuilibet enim homini, in lucem edito, peculiarem quasi custodem associari, qui illorum actionibus præsideret, veteres Philosophi crediderunt; inter quos est Menander Comicus, cujus versus græcos in latinum sermonem translato ADRIANVS IVNIUS lib. 8. *animadversion. cap. 14.* ita recenset: *Mortalium cuilibet nato suus vite custos rectorque Genius jungitur.* De his Geniis plura scire qui desiderat, legere ille potest SMETIVM *Antiquit. Neomag. pag. 27. 30.* VOET. p. 3. *disp. Select. 4.* KIRCHER. *in œdipo Tom. 3. & Sphing. Mystag. Tom. 2.* aliosque longa serie allegatos apud MATTH. ZIMMERM. *in Florileg. philolog. histor. voc. Erim.* Per translationem præterea vocabulum Genii pro voluptate & desiderio accipi a scriptoribus latinis, notum est. unde phrasés, *Indulgere Genio*, pro voluptati & luxuriæ inservire. item: *Defraudare Genium*, pro denegare naturæ id, quod appetit. Quando autem de Principe hæc vox prædicatur, ACCVRSIVS *in Gloss. ad d. l. 13. §. fin.* putat, Genium dici DEVM Principis, qui ingentem, id est, magnam suam potentiam exercet.

Rectius vero, nostro quidem judicio, per *Genium Principis*, Romanos vitam ac salutem ipsius Principis intellexisse arbitramur, ita ut is, qui per Genium Principis quid promiserit & pacta solidaverit, vel affirmaverit, ipsum Principem, quasi vindicem & ultorem perjurii



jurii invocasse credatur, atque hinc eundem, quem Deo debet, honorem eidem exhibuerit.

Illustrari hoc fortasse potest exemplo Judæorum, qui simili fere contestatione firmitatem quasi ac robur sermonibus suis conciliare soliti fuere. Sic enim, ut unicum saltem ex Sacra Scriptura locum attingam, cum Rex Israelitarum David, Uriam ab exercitu ad se vocatum in domum suam descendere juberet, Urias id per animam & vitam Regis facere renuebat, ajens, *Ut vivis, & ut vivit anima tua, non sum factururus hanc rem,* quibus verbis Rex quasi juramento convictus Uriam in aula usque in sequentem diem permanere concessit. *lib. 2. Samuel. cap. 11. §. 11.* Apertius autem longe hæc, quæ de juramento per Genium Principis ejusque sensu dicta sunt, lucem accipiunt ex Rescripto Imperatorum Arcadii & Honorii ad RVFINVM P. P. dato & in *l. 41. C. d. transact.* exhibetur, per quod infamia notatur is, qui major annis viginti quinque adversus pacta & transactiones, invocato Dei omnipotentis nomine firmatas veniendum esse putaverit, atque eadem jactura illos dignos esse, statuitur, qui nomina Imp. pactis inferentes *Salutem Principum,* conservationem initarum pactio- num esse, juraverint.

Scilicet noluerunt Christiani istius ævi gentilium ritus sequi & per Genium Principis, sed potius per Ipsiùs salutem, juramenta præstare, ut indicarent, passionem suam adeo ratas futuras, ac salus Principis eis curæ atque inter vota esset: hinc TERTVLLIANVS in *Apologet. cap. 11.* scribit: *Juramus sicut non per Genios Cesarum, ita per salutem illorum, qua est augustior: id quod notat & pluribus persequitur IACOB. GOTHOFREDVS in Comment. ad l. 8. Cod. Theodos. d. pact. & transact. Ceterum,*



rum, an probanda sit hæc jurandi formula, non ad creatorem, sed ad creaturam directa, nostrum jam non est excutere: sane ipsos Patres ecclesiæ hoc jurisjurandi genus haut aliter ac obtestationem quandam accepisse, quo hominum animi confirmetur, ex variis istorum scriptis probat Gothofr. ad d. l. 5. Sufficiat nobis solum indicasse, quanta istorum temporum vel adulatio, vel verus cultus fuerit populi erga Imperatores, qui Rempublicam gubernabant. Et huncce quidem cultum & reverentiam etiamnum incumbere subditis, ipsa naturalis ratio illos docet, eoque magis quando solenni homagio semet dominis suis obstrinxerunt, non solum ad obsequium, sed etiam ad fidelitatem præstandam, quod ultimum in vasallis sive illis, qui feudum a Principe, aut alio quodam superiore tenent, conspicitur. Cum autem multa specialia, tum circa horum vasallorum personas, tum quoque istorum bona & beneficia a dominis directis concessa, per Longobardicas consuetudines ad Germanos transmissas usu moderno obtineant, ex iisdem speciatim illa, quæ ad ultimas voluntates spectant, selegit & Dissertationem de *Dispositione Parentum Vasallorum inter liberos suos quoad Feuda* eleganter conscripsit, eandemque in cathedra per amicum conflictum excutienda proponere, atque per hoc eruditionis suæ jam per tria lustra acquisitæ specimen edere, juxta & doctoralem lauream sibi parare constituit pereximius Jurium Candidatus

## CAROLVS SYLVIVS WIDERIANVS

De cujus ortu, vita & studiorum decursu quædam breviter exponere, majorum nostrorum institutum postulat.

Natus is est *Oelsena*, notissimo Silesiæ oppido, paren-



parentibus omni laude dignissimis, Patre nimirum  
IOANNE HENRICO WIDERIANO, Advoca-  
tato regiminis jurato, dein amplissimi Senatus  
Uratislaviensis Commissario & Praefecto: Matre  
vero ELISABETHA MARIA, e generosa stirpe AB OESE-  
DEN oriunda, quorum summa cura in eo versaba-  
tur, ut hic filius christianorum sacris initiatus, statim,  
quantum aetas tenera patiebatur, probis atque industriis  
morum ac literarum praefectoribus & doctoribus trade-  
retur. Hinc gymnasio Elisabethano, quod Uratisla-  
viae floret, Rectoris vigilantissimi MARTINI HANCKENI cu-  
ra commissus, prima eruditionis posuit fundamenta: po-  
stea jussu parentum Onolsbacum ad affinem suum,  
ANDREAM ROSAM, Medicinae Doctorem & tum Serenis-  
simi Ducis Wuertembergensis Archiatrum, tum Onolsba-  
censis aulae Medicum, se contulit, ibique ulterius bonis  
literis probe expolitus, demum in illustre Coburgense  
gymnasium delatus est, ubi sub fidelissima directione &  
institutione viri summe venerandi ERNESTI SALOMONIS CY-  
PRIANI, tunc Gymnasii Directoris celeberrimi, jam vero Se-  
renissimi Ducis Saxo-Gothani consiliarii ecclesiastici &  
consistorialis meritisissimi, tantos studiorum fecit progres-  
sus, ut anno praesentis Seculi undecimo academicos labo-  
res in hac nostra Salana aggredi potuerit. A quo tempore  
nihil intermisit, quod ad solidam eruditionem af-  
sequendam necessarium visum fuit: atque hinc Metaphy-  
sicam a celeberrimo MAG. MVSIGGIO hausit, nec non to-  
tum cursum philosophicum praesente excellentissimo  
Professore STRBIO absolvit, ut & Politicae doctrinam a  
beate defuncto Universitatis bibliothecario RICHARDO  
percepit. Publicis praeterea praelectionibus ad Institu-  
tiones Juris, ab excellentissimo Antecessore SCHROETERO  
susceptis



susceptis sedulo interfuit, privata vero informatione beati D. EPHRAIMI GERHARDI jus non solum naturale, sed & canonicum exponentis usus, haud vulgaria studiorum sensit incrementa. Frequentavit insuper domesticas explicationes in Jurisprudentiam STRUVIANAM & Synopsin SCHOEFFERI, a Consiliario Saxonico D. KAMPFERO adornatas, quibus denique adjunxit lectiones publicas excellentissimi Antecessoris & Consiliiarii BRÜCKNERI, nec non manuductionem ad praxin juxta præcepta illustris GRIBNERI, a jam laudato KAMPFERO institutam.

Sic igitur omnis eruditionis penu instructus laborum suorum præmia & honores a nostro decenter expetiit collegio, cujus honesto desiderio deesse noluimus, sed ad consueta eundem admisimus examina, in quibus dignus omnino deprehensus fuit, ut in publica sisteretur cathedra, Disputationem suam, cujus jam supra fecimus mentionem, defensurus. Id cum crastina luce horis ante & post meridiem consuetis futurum sit, magnificum Academiae Prorectorem, illustrissimos Comites, excellentissimos aulae atque Universitatis proceres, nec non generosos & nobilissimos studiosos juxta & cunctos qui literis ingenuis favent, ut huncce actum præsentia sua exoptatissima cohonestare velint, omni reverentia, obsequio ac studio, Collegii juridici nomine expeto atque rogo. Jenæ die xxiv. Novemb.


Anno M DCC XXVI.













ceptis sedulo interfuit, privata vero informatione  
ti D. EPHRAIMI GERHARDI jus non solum naturale, sed &  
anicum exponentis usus, haud vulgaria studiorum  
incrementa. Frequentavit insuper domesticas ex-  
nes in Jurisprudentiam STRUVIANAM & Synopsin  
RI, a Consiliario SAXONICO D. KAMPFERO ador-  
us denique adjunxit lectiones publicas ex-  
Antecessoris & Consiliarii BRÜCKNERI, nec  
tionem ad praxin juxta præcepta illustris  
GR. laudato KAMPFERO institutam.  
nis eruditionis penu instructus labo-  
rum & honores a nostro decenter ex-  
petiit co. honesto desiderio deesse nolimus,  
sed ad co. admisimus examina, in qui-  
bus dignus prehensus fuit, ut in publica  
sisteretur ca. rationem suam, cujus jam su-  
pra fecimus n. sensurus. Id cum crastina  
luce horis ante nem consuetis futurum sit,  
magnificum Acad. rem, illustrissimos Comi-  
tes, excellentissimo Universitatis proceres,  
nec non generosos & studiosos juxta & cun-  
ctos qui literis ingenu huncce actum præ-  
sentia sua exoptatissima velint, omni re-  
verentia, obsequio ac stu. iuridici nomine  
expeto atque rogo, J. Novemb.  
Anno M D.

